

lix in Octavio : Tu, ait, perire Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus
 subtrahitur? Corpus omne sive arefcit in pulverem, sive in humorem solvitur,
 vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur NOBIS,
 SED DEO ELEMENTORUM CUSTODI RESERVATUR. Ambrosius eti-
 am de fide resurr. cap. XI. Quid miraris, si homines, quos acceperit, ter-
 ra restituat, cum seminum corpora quæ cum vi susceperit, vivificet, erigat, ve-
 stiat, munit atq; defendat. Desine ergo dubitare, quod DEPOSITUM GE-
 NERIS HUMANI terre fides reddat, quæ commendata sibi semina usurario
 quodam sanore multiplicata restituat. Elegantiissime etiam Tatianus
 contra gentes : Quamvis totam carnem incendium ex oculis auferat, ma-
 teriam tamen evaporatam mundus excipit : quamvis in fluviis, aut in mari ab-
 sumat, vel à feris dilaniet, CONDOR tamen IN PENNÀ divitis DOMINI.
 Improbis quidem & atheis depositum nesciunt : DEUS autem qui regnat, sub-
 stantiam sibi soli conspicuam, ubi volet, pristinae integritati restituet. Jam
 vero, si adsit causa efficiens sive producens tanta virtute prædita, quo
 de jam jam dicetur, ut materiam remanentem ita disponat, perficiat
 ut exinde idem corpus, quod ante fuerat, reproducatur, nulla sane in
 materia illa erit repugnantia ad fieri. Sicut enim ante ex hac materia
 hoc corpus factum est, cum hætenus nullum ex ea corpus humanum
 factum fuisset, cur non pateretur, ut corpus hoc ex ea reproducatur,
 quod jam ante ex ipsa productum fuerat. Si in auro vel argento nulla
 est repugnantia, ut, licet in tenuissimos pulvisculos & minutissima
 corpuscula redactum, heterogeneisq; corporibus ita permixtum fue-
 rit, ut vel visus aciem fugiat, per aurifabri solertiam, artisq; benefi-
 cium passim permixtum dispersumq; separetur, rursusq; colliga-
 tur, & simile vasculum, cujus ante figuram gesserat, inde confletur,
 quæ quæso erit repugnantia in pulvisculis corporis hujus, quo minus
 & illi possint rursû adunari, si virtus efficientis hoc possit, & in pristi-
 nam figuram statumq; adaptari? Quo ita se habente anima superstes
 corpori huic reproducto poterit conjungi, & producta unione eidem
 rursus uniri, & luculentum adeo resurrectionis mortuorum specimen
 exhiberi.

§. 17.

Sed præter hanc datur virtus & potentia sufficiens, nempe o-
 mnipotencia Dei, per quam quicquid in se non implicat contradic-
 tionem nec perfectioni ejus repugnat, efficere potest. Hac sua poten-
 tia omnia ex nihilo prodire jussit, per hæc corpus hominis è terra,
 unde